

63  
Ha. ~~777~~

Ex libris P. Olde, 1814.

171 210 3 211 13



COMMENTATIONES  
de  
Stoicorum philosophia morali,  
ad  
Ciceronis libros de officiis.

— 8 —  
Commentatio prima.

—  
Scripsit  
M. ERN. GODOFR. LILIE,  
Gymnasii Altonani Subrector.

—  
ALTONAE,  
apud J. F. HAMMERICH.  
M D C C C.

KOEN. FRIED.  
UNIVERS.  
ZU HALLE

## PRAEFATIO.

*N*e tantuli libri iusto verbosior visa praefatio negligatur, libellum me scripsisse fateor, ut praefationi locus esset. Quid his commentationibus ad maturitatem desit, ipse satis intelligo: sed existiment, velim, viri docti ex hoc specimine, non quid egerim, sed quid, curis solutus, et libris iis, quibus aegre careo, instructus, praestare possim.

Quum muneris, quo fungor, rationes ita ferant, ut ad Ciceronem interpretandum interdum accedere liceat, philosophis Graecis subsecivi tantum temporis partem tribuere possim; hunc unum paene e philosophia, cuius me olim amore Platonis libri incenderant, fructum percepi, ut et aequiore animo ferrem rerum mearum angustias, et Romani philosophi libros diligentius excuterem et cum Platone conferrem: cuius unius studium plus adiumenti asferre videbatur, quam

omnium, quas noram, philosophiae Graecae; reliquiarum.

Quum ad libros de finibus bonorum et malorum, argumenti gravitate invitatus, saepius redirem, quumque latius proferendum esse philosophorum Graecorum studium iudicarem; ad hanc paullatim, vel gratam fraudem vel certam fiduciam delatus sum, ut nova horum librorum editione viam me aliquando adolescentibus muniturum sperarem ad gravissimum hunc philosophiae locum penitus cognoscendum, In quo ne videar rem ab aliis vel actam vel susceptam moliri; et de consilii mei rationibus, et de singulis editionis meae partibus paucis exponam.

Quis negare audeat, recentiores philosophos et subtilius, quam veteres, explorasse ingenii humani latebras, et feliciter transtulisse philosophiam ad omnes, quae patent ingenio humano, disciplinas iuvandas? Enim vero, si minus iis, quorum aetas matura plenam, nec aliis quam ipsius ingenii humani finibus circumscriptam in-

da-



dagationem desiderat, satisfaciunt veteres philosophi, tamen, quo ad hanc confirmatae aetatis curam paratiores accedant adolescentes, adiumenta quaedam suppeditare potest veterum philosophorum interpretatio, vix ex alio ullo exercitationis genere speranda. Eam dico interpretationem, quae non modo sententias illustret, sed causas quoque aperiat, iudicium interponat, et, quid philosophi nostri eadem de re sentiant, perspicue doceat. Quo minor nunc est veterum philosophorum auctoritas, eo liberius in iudicio de iis ferendo versari licebit. Quae iudicandi libertas, ne quid vitii gignat, caveri potest, si, non errores tantum, sed causas etiam et quasi itinera demonstrare coneris, quibus ad sua quisque decreta venerit \*). Errores quidam antiquissimorum phi-

\*) Vide, quae observavit Garvius, in libri egregii, Sammlung einiger Abhandlungen, etc., commentatione secunda. Sed, cum longè difficilior sit, ad hanc normam veterum scripta interpretari: huius quoque ope

philosophorum tam manifesti sunt, ut eos vel pueri agnoscant: sed puerile est, in hac observatione subsistere; nam, vel certo cognitis causis, vel coniectura probabili exploratis, nonnunquam intelligimus, maioris ingenii fuisse, errores istos committere, quam in hac litterarum luce eosdem notare.

Quae commemoravi, quum in frontem in margine cuiusque libri notanda sunt. Sed restat altera pars, quae aptiorem finito libro locum habebit, comparatio sententiae cuiusque philosophi, cum simili recentioris alicuius philosophi sententia, vel nomine tenus nota omnibus, vel digna certe quae ab omnibus, quos dico, adolescentibus, cognoscatur. Quum in vocabulorum significatione et argumentandi via saepius quam in ipsa sententia discrepent

rae veteribus philosophis navatae, exempla vix imitanda proposuit vir eximius, et in Observationibus ad Ciceronis libros de officiis, et in notis, quibus Aristotelis ethicam instruxit.

7  
pent veteres a recentioribus, ad horum  
utrumque in primis advertere animum  
iuvabit. Similium verborum et senten-  
tiarum fines saepissime in libris et sermo-  
nibus nostris confundi videmus: quod-  
que tot iniquae de veteribus philosophis  
sententiae vulgo feruntur, sunt et aliae  
causae, sed hanc gravissimam iudico. Quin  
iisdem, ex vulgari interpretatione, ver-  
bis res dissimiles significatae, saepius etiam  
fraudi sunt imperitis. Velut, si quis de  
libertate ea dicturus, quam vel improbi-  
simis concedunt philosophi nostri, impru-  
dens ad eam delabatur libertatem, quam  
soli sapienti tribuunt Stoici; putabimus-  
ne, hunc de regendis, pro cuiusque aeta-  
tis discrimine, significationum finibus co-  
gitasse?

Vt regionum descriptiones, quas in  
geographis antiquis reperimus, cum iis  
comparare solemus, quas recentiores geo-  
graphi habent: sic veteres naturae hu-  
manae interpretes cum recentioribus con-  
ferre licet. Quod eo feliciter succedet,  
quod eadem ipsi loca adire possumus. Vt  
suum

suum quisque animum, cuius exploratores et quasi interpretes adit philosophos, diligentissime noverit, ita facillime discordias componet philosophorum, quæ alios morantur in libris defixos.

Tres librorum, quos editurus sum, partes tribus voluminibus comprehendendas putabam.

Voluminis primi, quod librum primum et secundum complectetur, initio de eius sententiae, quam Epicurus ornavit originibus exponam. Expedita libri secundi interpretatione, et commemoratis iis, qui eandem similemve sententiam nostris temporibus secuti sunt, in Helvetii doctrina commorabor. Huic, cum et multi palam faveant in Francia, et plures ubique clam favere dicantur, quid cum Epicuro commune sit, iuvabit explicare. Helvetium, cum eandem fere vivendi artem doceret, dicendi artem Epicuro superiorem: utrumque meliorem virum quam philosophum fuisse dixeris. Quod de Epicureis habet Cicero: (II, 25.)  
 „Vt ceteri existimantur dicere melius

lius, quam facere sic hi mihi videntur facere melius, quam dicere:“ id ad Helvetium quoque transferre possis.

Volumen secundum partem operis difficillimam, librorum III. et IV. interpretationem complectetur. Non diffido, me, libris iis, quibus adhuc carui, instructum, operae pretium facturum, eorumque, quae in his commentationibus vel commissa vel male praetermissa fuerint, veniam impetraturum. Nec solas antiquorum Stoicorum reliquias, sed Platonis etiam ethicen ad locum de fine bonorum et Aristotelis ethicen ad locum de officiis illustrandum non nihil valere, satis mihi videor intellexisse. Quod ne quis male accipiat, commentatione II, qua ad reliquam libri I de officiis partem, his adiumentis fretus, accedere conabor, cavebo.

Quum, ut mihi quidem videtur, male comparata sit cum Wolfii philosophia practica, Stoicorum ethica; quid discriminis interessè videatur, et quanto propius absit a Kantii ethica, declarare conabor.

Volumen tertium in explicando  
libra

libro quinto versabitur. Quum suam ipse sententiam hoc libro exposuisse credatur philosophus consularis; de Ciceronis philosophia eiusque cum Platone et Aristotele ratione paulo accuratius disputabo. Interpretationem sequetur comparatio huius praestantissimi libri cum Britannorum, Schaafs-bury, Hutcheson et Smith, sententia ad quos me vocavit viri illustris, Meiners, de his philosophis iudicium \*). Quae de argumentandi via, longissime ab ea remota, quam philosophi nostri sequuntur, dicturus sum, aptissimum in aditu cuiusque libri locum habere videntur.

Quum vix ingressus essem viam, cuius formam descripsi, quumque in parando volumine primo versarer: prodiit nova, eaque egregia horum librorum editio, a Bremio V. C. instructa. Sed tantum abfuit, ut consilium abiicerem, ut viam potius munitam, eamque partem eximie inchoatam viderem, de qua, cum ipse insigna-

\*) Vide Meiners kritische Geschichte der ältern und neuern Ethik. — Stoicis iniquior est vir eruditissimus.

signiorem bibliothecam nullam adire possem, ne cogitarem quidem.

In sententiis Ciceronis explicandis, etsi paulo copiosius et constantius versabor, cavebo tamen, ne in reprehensionem iusto acerbiorem incurram, qua interpretes mole sua laborantes notat vir doctus. Sed patere obtrectationi, non Bremii, in quem non cadit haec suspicio, sed aliorum, muneris suscepti partem eam suspicor, quae non cuiusvis vel docentis vel discantis arbitrio permittit comparationem, qua omnes non plane hebetes continuo iungunt vetera recentibus: sed idem non diffido, iustos harum rerum existimatores concessuros mihi, regendum esse hunc comparandi conatum, nec committendum, ut, similibus verborum et sententiarum colore decepti, aliena comminiscantur iuvenes.

Si placuerit conatus meus viris doctis, quorum ut iudicia elicerem, has commentationes, minus quam velim comatas et limatas, conscripsi, alacri animo rem aggrediar: sin minus, non periisse tamen

men operam, libro, in paucis mihi caro, navatam, putabo.

Restat, ut de harum commentationum argumento pauca adiciam. Prima aditum ad libros de officiis tentat, secunda Stoicorum sententiam de iustitia, fortitudine et temperantia cum Ciceronis disputatione conciliabit, tertia complectetur omnia quae de libris II et III monenda videbantur.

Quum philosophicos Ciceronis libros omnes diligenter excussissem, nec ullus esset, quem non aliqua observationum dote instrui posse putarem: tamen, in hac rerum mearum difficultate, quum et aliis libris permultis, et Davisianis editionibus carem, ad eum librum delatus sum, quem, quum et Heusingerorum curis et egregiis Garvii commentariis satis iam dotatus videretur, ne attingendum quidem putaram. Sed libri illi frustra quaerebantur: hae, quibus libri de officiis instructi sunt, copiae parabiles erant, ut facile iam, (in quo, si minus unum, at primum interpretis munus cernitur,) quid desit, quod novis curis

ex-



expleri possit, intelligi posset. Diligentius indaganti deesse videbantur, quum alia haud pauca, tum ea, in quibus haec opella mea versatur. Libri de officiis quum ex arduo loco de finibus bonorum pendeant, quum, et tota ordinis descriptio e Stoicorum disciplina morali lucem desideret, et ipse aditus praestantissimi libri quasi spinis Stoicorum septus sit, operae pretium videbatur, quid adiumenti ferat Stoicorum ethica, quaerere. Paratiorem ei veniam futuram putabam, qui, quum in locum praecipitem se commisisset, haud impune redeat, quam iis, qui, quum novas adeo horum librorum editiones parent, cautiores quam meliores, ne attingant quidem hunc locum \*).

Si

- \*) De fontibus, quos adii, alius dicendi locus erit. Sed, ne quis suspicetur, iusto me maiorem auctoritatem tribuisse Epicteto, nihil me ei credidisse sciat, quod antiquorum Stoicorum sententiae non ita congruat, ut, vel amplificare videatur, quae verbo commemorantur in Laertio, vel lacunas in Cicerone molestas explere. Fateor, Epicteti reliquias

Si qui non inviti legerint has, quae in promptu erant, observationes, reconditiora expectabunt in commentario ad librum III et IV de finibus, nec, si quando me in dissolvendis iis, quae iam ab aliis soluta erant, haerentem viderint, negligentiae meae tribuent ea, quae iniqua mihi fortuna negavit.

liquitas in iis esse libris, quos mihi, dum vivam, nolim extorqueri. Enchiridion adolescentis adamavi, quum ob argumenti gravitatem, tum propter notas viri illustris, Heynii, praeceptoris, cuius gratam memoriam nulla unquam dies ex animo meo delebit. Maiorem etiam Epicteti librum, Schweighaeuseri, V. C. cura emendatum, nunc ipsum legens quasi diurnam sitim restinguo. Nec sine causa tantum ei tribuere videor. Seneca certe, qui aliena multa admiscet, et Antoninus, qui concinnitatem quandam sequitur, inimicam interdum perspicuitati, iacent cum Epicteto comparati.

Com-

Commentatio prima,

ad libri I. c. 1-6.

---



## I.

Quum libros de Officiis legimus, accidit interdum, ut non philosophum de moribus præcipientem, sed virum consularem de administranda republica disputantem audire nobis videamur. Eam tantum doctrinæ de officiis partem, quæ viros rempublicam domi et foris gerentes spectat, satis copiose exponit liber primus: liber secundus, missis iis, quæ vel populi sermone vel ex Stoicorum norma utilitatis verbo indicantur, nihil fere, nisi viam ostendit, quæ ad summum illum in republica locum ducat.

Quærentibus nobis, cur adeo fallat expectationem nostram liber egregius, cuius bona hanc quoque ob causam iusta laude fraudantur, quod alieno loco collocata videntur, primum occurrit idem, quod Garvius respondit. Locus ipse, quem in republica tenuit, propositi immemorem reddidisse videtur Ciceronem, quumque fortitudinis et temperantiæ præcepta traditurus esset, ea tantum munera copiose exponit, in quibus civium et magistratuum fortitudo et temperantia spectatur. Sed ne huic suspicioni nimis

B

con-

confidas, non solum accuratior huius loci indagatio perficiet, sed ipsius Ciceronis auctoritas, qui in Tusculanarum disputationum l. I—IV. egregie fortitudinis et temperantiae naturam et praecepta expromit. Ibi nec reipublicae administrandae praecepta, nec officia erga nosmet ipsos commemorata vides, quae, etsi recentiorum scriptorum usu trita sunt, tamen vix usquam in scriptoribus Latinis leguntur. Quum Tusculanae disputationes, magna certe ex parte, non minus ad ethicen referendae sint, quam libri de Officiis; non sine causa miramur, in illis quasi domi teneri orationem, in animi latebris indagandis occupatam, in his quasi prodire in forum. Stoicorum sententiam de officiis, hanc Ciceroni veniam dedisse, docere conabor.

Neque tamen nihil reipublicae Romanorum et loco illustri, quem in ea tenuit, dedisse videtur Cicero, quum praesertim filio, ad publicam accessuro hunc librum traderet. Non alienum videtur, et verbo nunc, et pluribus in commentatione tertia monere, quid libris de Officiis, e Stoicorum fontibus ductis, hunc quasi Romanum colorem dederit. Nunc quidem nihil nisi duo tanquam deverticula indicabo, in quae vitae genus, quod quisque sequitur, deferre solet, et detulit Ciceronem, quorum alterum lu-

lubricum est et præceptis, alterum legitimum et omnibus concessum.

Partes, quas in vita suscepimus, modo faciliores in præcipiendo reddunt, modo difficiliiores, ipsamque interdum normam depravare videntur, qua in iudicio ferendo utimur. Huius erroris in Cicerone, cuius non ingenium solum, sed virtutem etiam, ab istius ætatis labe pæne intactam, admiramur, non multa vestigia apparent: sed, quæ exstant, ea diligentissime exigenda videntur. Quo facilius, quid velim, intelligatur, locum ex alio Ciceronis libro depromam, nec commemorabo ea, quæ his ipsis in libris notari possunt, (v. c. ad l. II. c. 14. § 15.) de quibus suo loco dicetur. Tusc. IV, 25, quum Peripateticos impugnasset, qui et iram, et reliquos animorum motus non penitus tollendos, sed moderandos censebant, ita pergit: „Et quidem ipsam illam iram centurio habeat et signifer, et ceteri, de quibus dici non necesse est, ne rhetorum aperiamus mysteria. Utile est enim, uti motu animi, qui uti ratione non potest.” Vereor, ut h. l. satis explicaverit Neide, V. C., qui nepestrime Tusculanas commentario illustravit. Ceteri isti, quinam sint, satis, opinor, docent libri, quibus nos rhetorum mysteriis ipse Cicero initiavit. Jam, ut

militibus, et centurionibus concedas iram, tamen vix ignoscas philosopho, in aliorum animis ea inflammare iubenti, quæ cum Stoicis summa mala iudicat. Ipse tranquillus sit orator, sed quoties opus fuerit, tragædiis suis commoveat populum, iudices, senatum! Sed erunt fortasse, qui reipublicæ formam, quæ tales ferat et postulet tragædias, quam oratorem, qui iis utatur, accusare malint.

Vt difficilius ignoscimus iis, qui præcepta officiorum ipsa tempore et loco accommodant, ita non ferre sed laudare etiam solemus eos, qui ethicen ad eam vitæ partem, quam ipsi tenent, conferentes, non solum in agendo sed etiam in scribendo eum locum tumentur, in quo, tanquam in præsidio, collocati sunt. Sed ne, quantum homini concessimus, tantundem de scriptoris laude detrahamus, accuratius explorata officii notione cavebimus, nec commitemus, ut sibi et suis indulgisse Ciceronem credamus ea, quæ Stoicis tribuenda erant.

Hæc vero non ab iis solum petenda sunt, quos constat cum Stoicis fecisse, sed ab ipso etiam Cicerone. Fuerunt quidem, qui non modo in Stoicis, sed ne in philosophis quidem

nu-



numerarent Ciceronem. Quos, etsi paulo difficiliore in philosophi nomine largiendo, concessuros tamen arbitror, ut in hac quaestione expedienda, ipsum libri auctorem audiamus ante, quam e Stoicis percontemur, non quid dixerit, sed quid ei dicendum fuerit.<sup>34</sup> Quare non negligenda quidem sunt Stoicorum monumenta, sicubi, vel defecerit Ciceronis auctoritas, vel erroris et inconstantiae absolvi non potuerit: sed ipsius Ciceronis libri multo diligentius excutiendi videntur, praesertim quum Graecorum libri de officiis (v. c. Zenonis liber *περι καθήκοντος*, Diog. Laërt. VII, 4.) omnes interierint, loca autem a Laertio servata tot corruptelis scateant, ut, quidquid paene attigeris, ulcus videatur. Nec philosophicos tantum Ciceronis libros dico, sed orationes etiam et epistolas. Quum inde a prima adolescentia omnes paene philosophorum Graecorum familias salutasset Cicero, Academicos et Stoicos, auctoribus Philone et Diodoto interiorius cognovisset, quumque philosophiam, cui se totum tradidit senex, non solum adolescentiae ducem sed vitae comitem habuisset, non est, quod miremur, non solum e libris de Inventionem, (in quos paene puer dictata magistrorum effudit,) sed etiam ex epistolis et orationibus colligi posse nonnulla, quibus instructus haud pauca librorum philosophicorum loca vel obscu-

ra illustrare vel corrupta emendare possis. Minus tamen liber primus de Officiis ex iis, quos indicavi, libris, adiumenti desiderat, quam liber II et III. Ibi cavendum nobis erit, ne in longinquis regionibus quæramus, quæ in proximis sita sunt. Ipsius etiam Ciceronis sententia de philosophia, si hæc viam; ne a Middletono quidem, optime de Cicerone merito, satis tritam, ingressus fueris, clarius apparebit. In Epistolis quidem ita intimos animi recessus recludere videtur, ut, quid de virtute senserit, liquido constare credam.

Sed maior librorum de Officiis pars, quum ob argumenti, quod proxime abest a vita, naturam, tum ob orationis perspicuitatem facillime ab omnibus, qui non plane rudes accedunt, intelligitur, ut, qui loca amœniora, in quibus fere Cicero commoratur, novis copiis ornare velit, pæne ineptus videatur. At, qui redierit ad dumeta Stoicorum, e quibus iusto velocius evolavit Cicero, is impeditam interdum viam habebit.

Quæ a Græcis ducta Latine exposuit Cicero, ea aliis verbis ita explicare, ut idem sentias, difficillimum est, sive Latino, sive patrio sermone utaris. Quamobrem et pluribus sæpe verbis declaranda sunt, quæ uno apte explicari  
ne-

nequeunt, nec acerbius exigenda sunt vocabula, quibus perspicuitatis causa interdum uti cogimur. \*)

De Garvii commentariis in Ciceronem, quos, si quid mea valeret auctoritas, in primis commendarem adolescentibus philosophiae studiosis, sicubi me liberius iudicantem viderint, ignoscent, opinor, boni, quibus, dum virtuti et philosophiae, quae non dictis et scriptis tantum profertur, sed vitam ipsam regat, honos suus constabit, carum erit Garvii nomen. Ut bonis, quae plurima insunt in his observationibus, impune fruantur iuvenes, ea videntur indicanda,

in

\*) Ex quo Ernestius (in Ep. ad Stiglizium p. 76. ff.) et alii docuerunt, parum apte praetorum, aedilium aliaque munerum publicorum nomina, et similia verba, totidem Germanicis vocabulis explicari, Latina haec vocabula servare malumus, quam in quaerendis Germanicis, quae idem valeant, operam perdere. At in eo verborum genere, quod cuiusque disciplinae proprium est, res minus succedit. Facere non possumus, quin v. c. ipsum officii vocabulum Germanico *Pflicht* interpretemur: quod, quum non eandem vim habeat, quumque legentibus, licet saepe monitis, tamen obrepere soleat significatio usu vulgari trita, sit ut ipsi nobis obstreparamus. Ita paene meliori conditione sunt, qui Latine de hoc similive argumento scribunt, quam ii, qui patrio sermone utuntur.

---

in quibus vel Ciceronis, vel Stoicorum sententiam non satis expressit Garvius. \*)

\*) Quum singulos pæne errores egregiis observationibus compensaverit Garvius, gratiam ei interdum habemus, qui maluerit ingenii sui divitias, quam Ciceronis sententias explicare. Non nunquam sententiam eius dividere, partem demere, partem, quam in lucro habeamus, reponere iuvat. Ita Obsf. Vol. I. p. 14, ff, discrimen, quod inter officia perfecta et media statuebant Stoici, illustraturus, egregie de eorum errore disputat, qui actiones nostras eventu metiuntur. At, nec Stoici soli hanc normam repudiabant, nec discrimen illud ad eventum spectat,

---

## II.

Quum omnium philosophorum communem iudicasset hanc de officiis quaestionem, „nulla tamen officii praecipua firma et coniuncta naturae tradi posse putat, nisi aut ab iis qui solam, aut ab iis, qui maxime honestatem propter se dicant expetendam, i. e. aut a Stoicis, aut ab Academicis et Peripateticis.” Hos quasi in medio loco collocat inter duo philosophorum genera, maximo intervallo remota, quorum alteri in corporis voluptate haerentes, ne locum quidem virtuti dent, alteri, quasi nihil, praeter animum in homine videant, aditu ad vitam regendam intercludant virtutem. Epicurum, quoties videt, insectatur Cicero; nimis enim dociles Romanos ad hanc virtuti inimicam sententiam accipiendam videbat: sed Herilli, Aristonis et Pyrrhonis sententiam nusquam satis explanavit. Ut cum Epicuro iniquius interdum agere videtur, sic horum philosophorum, quibus non minus fortasse quam Academicis, (qui in eandem fere reprehensionem incurrerant,) defuisset oratio, doctrinam nimis abiicere videtur. Aristoteli et Herillus, quantum e locis, ab J. M. Heusingero

gero allatis, suspicari licet, eodem deflexerunt, quo recentiores nonnulli Stoicorum interpretes deflexisse videntur, qui verbo Stoicos, re ipsa Herillum et Aristonem impugnant. \*)

Duas quasi vias ingressos esse veteres philosophos, monet Garvius, (Obsl. Vol. I. p. 9, ff.) quæ ad boni notionem et agendi leges ferrent, observationem ipsius hominis a primo ortu ad ætatis usque maturitatem, et comparationem hominis cum brutis animalibus. Quærenti mihi, verene hæc observata sint, quum alia, quæ minus coniuncta sunt cum instituta oratione, tum hæc in mentem venerunt. Omnes fere primæ ætatis, infantia et pueritiæ, observationi tantum videntur tribuisse, quantum in hac ethica parte ei concedi nolimus. Academicum et Peripateticum diligentiores erant in observanda hominis a teneris ad senectutem natura, \*\*) et minus indulserunt comparationi quam Stoici et

\*) Pyrrhonis notior est sententia. Vide, quæ de eo disputat Tennemann, V. C. Geschichte der Philosophie, Vol. II, p. 166. ff.

\*\*) Vid. Cic. de Fin. V, 20. „Omnes veteres philosophi, maxime nostri, ad incunabula accedunt, quod in pueritia facillime se arbitrentur naturæ voluntatem passè cognoscere.”

et Epicurei. Horum utrique tantum dederunt comparationi, ut non lucem solum inde mutuarentur, sed ipsam, quam tuebantur, sententiam comparando quasi explerent. Epicurei in iis manserunt, quæ communia sunt homini cum animalibus rationis expertibus: Stoici cum divinam animo naturam in physicis tribuissent, non ipsam quidem virtutem, quam divinæ naturæ propriam iudicabant, \*) sed eam tamen voluntatis vim concessam homini statuebant, quæ omnia virtutis impedimenta superare et quasi mortalem quendam Deum, ita effingere possit sapientem, ut per hanc quasi apotheosin attingat beatam vitam, quæ, ut Ciceronis verbis utar, (Tusc. V, 2.) si vel per unum diem contingat, peccanti immortalitati præferenda sit.

Quo facilius ea, quæ Stoicorum propria sunt, illustrentur, leviter attingenda videntur ea, quæ communia iis cum Academicis et Peripateticis iudicat Cicero et h. l. et sæpe, v. c. de Fin III, 11. Totus etiam liber II. de Finibus non propriis Stoicorum, sed communibus omnium,

\*) Non soli Stoici virtutem Deo tribuunt, quam non ut homines voluntate paraverit, sed naturæ suæ vi habeat. Sanctitas non in Deo, sed in iis qui Deum colunt, laudari solet.

omnium, quos de virtute audiendos cenſet Cicerone, armis Epicurum impugnat. Quamobrem hic liber in fontibus philoſophiæ Stoicæ non erat numerandus.

Omnes, profecti a primis naturæ, in quibus voluptati aut nullum aut perexiguum locum dabant, in virtute *ſummum* hominis bonum collocabant. Honeſtum id intelligebant, „quod tale eſt, ut detracta omni utilitate, ſine ullis præmiis fructibusque per ſe ipſum poſſit iure laudari.“ \*) At vero quum virtutem, ſine ulla vel præſentis vel ſperatæ voluptatis utilitatisve mercede per ſe expetendam dicerent, neutri excluſerunt honeſtiſſimam illam voluptatem, quam virtutis conſcientia et conſtantis animi tranquillitas præſtat: ſed Stoici certe negabant, ad hoc ſapientis gaudium dirigendam eſſe voluntatem. Fontem eius, ipſam virtutem, ſequi iubebant. Ut voluptatem corporis ſequi nos vetant Stoici, quippe quæ et ſponte et impune exoriatur, ſimul atque ex officiorum norma deſideriis

\*) Hæc Ciceronis verba ſunt de Fin. II, 14. Cf. de Fin. III, 11. Non erat igitur, quod Tiedemanus, V. C. Stoicos ob hanc ſententiam exagitare. V. System der ſtoiſchen Philoſophie, Vol. III, p. 85, ff. Nam idem ſenſerunt omnes paene, qui in honore erant, veteres philoſophi.



fideriis naturæ satisfecerimus, sic animi illud gaudium non regit sed sequitur honestas actiones. \*)

Quadripartitam etiam virtutis indolem, (de qua aptiorem deinceps dicendi locum habebō,) de communi sententia in homine agnovisse videntur. Ipsas virtutes cardinales, quas vocamus, alii aliter definiunt, sed principia cuiusque in teneris parvorum animis eadem fere omnes observabant. \*\*)

#### Officii

\*) Hoc bonae mentis gaudium est *επιγνημιμα του αγαθου*. V. v. c. Arr. III, 7. p. 382. Voluptas est *επιγνημιμας* primorum naturae. V. Laert. VII, 94. p. 423. ed. Meib.

\*\*) Philosophos Socrate antiquiores virtutem in quatuor formas divisisse constat. Sed de huius divisionis auctore mihi quidem non liquet. Vestigia non solum in Pythagoreorum, sed etiam in Empedoclis reliquiis, (quas, quum Gottingae et libris et otio abundarem, colligere ingressus sum,) observavi. Socratis aetate satis iam ipso sermonis usu tritae fuerunt; nam et nomina quatuor virtutum in Memorabilibus Socratis leguntur et explicantur, et initia illa, in quibus fovendis et regendis virtutis disciplina laborat, iisdem paene notis agnoscuntur, quas in Cicerone videmus. Xenophon, v. c. in Cyropaedia, quae tota ad popularem intelligentiam accommodata est, quum Cyrum puerum talem nobis effingat, qualem sibi quisvis pater filium optet, tria virtutis indicia primum commemorat. Cyrus erat

Φίλων

Officii definitio, quam Cicero promittit, (c. II.) merito desideratur. Nam, etsi perfecta et media officia utcunque definita reperies, (c. III.) tamen generis definitionem nullam videmus, ut recte iudicat Hottinger, V. C., qui libros de Officiis nuperrime in patrium sermonem transtulit, et paucas quidem, sed egregias adiecit animadversiones. — Ut in sermone et scriptis sermoni similioribus, (qualia sunt Ciceronis philosophica,) non iustos syllogismos collocare, sed, aut summionem aut assumtionem omittere solemus, sic interdum, pratermissa generis definitione ad formas accedit scriptor, ut moræ impatientes lectores habeant, quo statim utantur. Sive hanc, sive aliam causam habuerit Cicero, cur datam fidem non liberaverit; molesta nobis est nimia hæc festinatio. Equidem, fateor, frustra aliquamdiu in Stoicorum monumentis hanc officii universi definitionem quaesivi. De qua ante quam exponam, ad physiologiam Stoicorum, (quæ et physicam nostram et theologiam complectitur,) redire, et quæ

*Φιλανθρωποτατος, και Φιλομαθεστατος, και Φιλοτιμοτατος.* Vid Cyrop I. c. 2. Quum paululum ætate processisset, pudoris etiam signa apparuerunt. Sed hic non est cupiditatis custos, sed, qualis a primo ortu observatur, decori moderator. Vid ibid. c. 4.

qua ei cum ethica ratio intercedat, paucis exponere conabor. \*)

\*) Garvius alieno, ut mihi quidem videtur, loco, *Obs.* Vol. II. p. 13 ff. quaerit, quo societatis vinculo religio cum ethica coniuncta sit. Vix hominem dixeris, qui his observationibus lectis non amet Garvium. Sed cavendum est, ne, quum utilem Deum vocet Cicero, eam utilitatem cogitemus, cuius l. II. viam offendit. Nam, quum vitae commoda saepe ab iis Deorum munera vocentur, quum in omnium animis haereant Horatiana illa:

Det vitam, det opes, aequum mi animam ipse parabo:  
proclive est, in hunc errorem incurrere. At enim ipsa utilitatis notio, in qua ad vitam regendam conferenda multa turbat Cicero l. II., a germanis Stoicis ad solam honestatem refertur, nec illud, ὁ Θεὸς ὡφελίμος, quidquam significat, quam, Deum et virtutis parandae facultatem nobis dedisse, et virtutis studium iuvare. Ad l. II. ambiguitatis, quae et Ciceronem torfit, et nobis molesta est, causam explicare conabor.

## III.

Cato Ciceronianus ad finem libri III. admirabilem huius disciplinae ordinem et compositionem laudat. Hanc laudem et Cicero l. IV. facile Stoicis concedit, et omnes pæne, qui aut tumentur aut impugnant hanc philosophorum familiam, in ea consentiunt, v. c. Lucianus, acerrimus Stoicorum exagitator. V. Hermot. p. 100, Vol. IV. ed. Bip. \*) Quamobrem, nisi recentiores Stoicorum adversarii, et ipse Tiedemannus, iusto

\*) Cf. de Fin V, 28. Mirabilem esse fatetur rerum contextum apud Stoicos, ibique, ut in geometria, prima si dederis, danda esse omnia. Quod probaturus non a principiis naturae proficiscitur, sed ab illo enunciato, quod bonum esse negat, quidquid honestum non sit. Hoc est, ut cum nostris loquar principium ethices Stoicorum, vel ut Ciceronis verbis utar, hoc continet disciplinam moralem Stoicorum. V, de Fin III. 7. Principii vocabulum, non minus quam Graecum ἀρχή, idem saepe valet, quod nostrum voc. Grundfatz: sed Cicero parcius hanc ei vim tribuit, v. c. Acad. IV. (II.) 16., quo loco item contendit, falsa esse Stoicorum paradoxa, etsi mirifice congruant cum principiis. Sed prima naturae, quae non ethices sed officii principia vocari possunt (Fin IV., 16.) non male fortasse Germanice voces Grundtriebe, non Grundfatzze.

iusto sapius inconstantia eos accusarent, vix esset, quod admonerem lectores, quam apte composita sint, et tres universa philosophia, et ethices ipsius omnes fere partes. Ipsa officiorum doctrina minus sibi videtur constare. Quod, utrum eorum vitio acciderit, e quorum rivulis, quum fontes ipsi exaruerint, hunc locum accepimus, an aliis de causis, videbimus.

„Duo sunt, (auctore Antiocho, qui Stoicorum sententiam sequitur, Acad. IV, 9.) maxima in philosophia, iudicium veri et finis bonorum, nec sapiens esse potest, qui, aut cognoscendi initium ignoret, aut extremum expetendi.” Quum facile omnes concedant, iudicium veri, (vel normam, qua in vero inveniando utamur,) petendum esse e dialectica, futuros suspicor, qui, e scholis recentiorum philosophorum profecti, negant, iudicium boni, (vel normam, qua in iudicio de bonis et malis utamur,) in physicis tradi, et hoc quasi vinculo physicam cum ethica coniungi potuisse. Sed audiant Ciceronem. Is et l. III. de Fin. c. 22. negat „quemquam de bonis et malis vere iudicare posse, nisi omni cognita ratione naturæ, et vitæ etiam deorum, et utrum conveniat necne natura hominis cum universa:” et similia habet l. V. Tusc. disp. c. 24 et 25.

C

ubi,

ubi, ut ipse c. 27. profitetur, Stoicos potissimum sequitur.

Totum sane iter physiologiae Stoicorum ad locum de fato tendit. \*) Ibi discrimen illud constituitur inter res in potestate nostra positas, h. e. vel bonas vel malas, et eas, quae potestate nostra exemptae, arbitrio divino parent. Ea, quae sunt in potestate nostra, Stoici voluntaria, *προαισθητα*, (libera,) vocant, et fato liberant. Qui intelligunt, ea quae ipsorum in arbitrio non sint, causis tamen vincata esse, *necessitatem*, qui causas has ignorant, *fortunam* commemorare solent. Sed necessarius hic causarum ordo non vocatur, nisi comparatus cum hominum imbecillitate. Deum si spectamus, universa rerum compages non minus illius voluntate regitur, quam paucula haec, quae nostro arbitrio permissa sunt. \*\*)

Hæc,

\*) Hoc vel e reliquiis libri de Fato, sed clarius Stoicorum, aera nostra posteriorum, libris intelligitur. Maior libri de Fato pars interiit, quo vix aliud gravius damnum fecimus.

\*\*) *Necessitatis* non solum sed *Fortunae* etiam vocabulo ita interdum utuntur Stoici, ut Deum ipsum significari videamus: in quo idem secuti sunt, quod in virtutis disciplina sequebantur. Ut *bonorum* et *utilium* vocabula, ab iis rebus, quae vulgo aut sola

Hæc, qua ratione cum physicis Stoicorum decretis conciliari possint, viderint alii; quam cum ethica rationem habeant, iam videbimus.

Ut Plato iustitiam in republica, quasi in maiori tabula, efformatam clarius ob oculos poni posse putabat: ita Stoici virtutis legem, quam in universo mundo dominantem agnoverant, quasi minoribus litteris in animo nostro scriptam videbant,

*Lex divina, (ὁ νομος θειος)* ad quam non solum Epictetus et Antoninus, sed antiquissimi etiam Stoici præcepta sua referunt, (Diog. Laërt. VII, 88.) ex hac rerum divisione pendet. Epictetus optime eam his verbis exponit: (Arr. p. 259. ed. Schweigh.) *Τις δ'ὁ νομος θειος; τα ἴδια τηρεῖν, τῶν ἀλλοτρίων μὴ ἀντιποιεῖσθαι, ἀλλὰ δίδομενοῖς μὲν χρῆσθαι, μὴ δίδομενα δὲ μὴ ποθεῖν.* Prior huius legis pars (*τα ἴδια τηρεῖν*), ad bona et mala, posterior ad commoda et incommoda (sumenda et rejicienda,) pertinet:

C 2

ut

sola aut maxime expetuntur, remota, virtuti consecraverunt, ita, modo Deo, modo Necessitati et Fortunæ nos parere iubent, ut ipso sermonis usu mutando religione imbuerent animos. Nam in ore populi illa necessarium hæc fortuitum rerum ordinem, utrumque sine ratione succedentem, significabat.

ut non inepte duas quasi leges, alteram agendi alteram patiendi, Stoicis tribuere possis. Idem fere Garvius secutus est in commentatione posthuma, Vermischte Aufsätze, Vol. II, p. 1. ff. Rarius tamen, nec usquam fere, nisi, quum iustitiae praecepta tradunt, legis mentionem faciunt. \*) Nam legis verbum, quod totam nunc philosophiam pervagatur, aliunde, ut pleraque, translatum, angustiores fines habuit. Socrates primus frequentius eo usus videtur, quum leges divinas opponeret sophistis, qui statuebant το δικαιον νομον ου Φυσει ειναι. \*\*)

Neque tamen a religione pendere dicas ethicam Stoicorum. Nam, etsi clarius legem divi-

\*) Legem sine legis auctore Deo difficilius mente concipias. Quo fit, ut legem non fere commemorent, nisi vel de universa virtute vel de iustitia praecipientes. *Iustitia* complectitur *religionem*: (quo verbo την ευσεβειαν interpretatur Cicero, de Inv. II, 53.) idque non solum iuvenis probavit l. l., sed idem sequitur senex. Vid. de Off. I, 43. Sed religio, quam Stoici probant, tantum abest a superstitioso deorum cultu, quantum vera amicitia a vulgari ista, quam mercaturam quandam vocabant.

\*\*) Non ignoro antiquiorem huius translationis originem. V. quae observavit Valckenar. ad illud Pindari, νομος παντων βασιλευς, ad Herod. III, 38, p. 215. Well.



divinam ex universæ naturæ contemplatione sibi videbantur perspexisse, eandem tamen in ipsius animi conscientia reperiabant, eamque non tam, ut a Deo imperatam, sed ut communem Deo cum hominibus sequebantur. Sed, ut concedas, auctorem legis esse Deum ex Stoicorum mente, tamen iudicem eum non agnoscunt, non vel præmia virtutis, vel improbitatis pœnas ab eo expectant. Satis iam ipsa virtus præmii habet, quum beatam vitam suis præstet. Quare nec immortalitate animorum, quam plerique Stoicorum negabant, indigere se putabant. Indigne ferimus, gratissima hac immortalitatis spe, sine qua ipsius sæpe virtutis studium languescit, caruisse Stoicos. Ut Ciceronis tempore nemo se philosophum dicere audebat, qui nulla officii præcepta traderet, sic neminem nunc de officiis præcipientem audimus, qui immortales esse animos neget. \*)

*Virtus* soli Deo et iis, qui Deorum vitam in terris imitantur, quos et *θεῖους* vocant, tribui-

\*) V. insigniora loca de hac Stoicorum sententia collecta a Gedikio, V. C. in libro utilissimo, *Histor. philosophiæ e Ciceronis scriptis collecta*, p. 100. De ratione, quam cum Stoicorum ethica habet spes immortalitatis, optime Simplicius monet p. 8. ed. Schweigh.

baitur. Eandem et *sapientiam* et *libertatem* vocant: sapientiam, quod in iudicio de bonis et malis nunquam falluntur sapientes: libertatem, quod cupiditatibus iis soluti sunt, quibus restricti plerique, vel corpori serviunt vel hominibus, qui vel terrere eos, vel inescare possunt. \*) *Agere*, in iis, qui virtutis impedimenta superaverunt ipsi, nihil fere est quam, aut cogitare, aut

\*) Paradoxon illud, quod solos sapientes liberos indicat, ita placebat Stoicis, ut vix in iis numerari possit, quae non in vita sed in schola tantum probabant.

Hic locus me admonet, ut de ambiguitate, quae in libertatis vocabulo molesta est, moneam. Solus, quod sciam, Arrianus satis perspicue libertatis vim declaravit. Vid. in primis l. IV, r. p. 534. ff. Libertatis vocabulum virtutem ipsam ab ea parte declarat, qua cupiditatibus imperat et omnes animorum motus coercet. Nemo tamen dubitare potest, quin eam animi vim, quam nostri libertatem moralem vocant, agnoverint omnibusque, et bonis et malis, item ut nostri, tribuerint. Hanc, quam divisione illa, quae iungit physiologiam ethicae, tum ipso voluntatis vocabulo indicant. Interdum etiam *χρησις φαντασιων* vocatur libertas philosophorum nostrorum.

Non unum tamen Arriani locum me legere memini, quo libertatis voc. eam vim habet, quam ei nunc vulgo tribuimus, v. c. p. 618. Ibi homines vocantur *φύσει ελευθεροί*.

aut bene de aliis mereri. Sæpissime igitur beneficentia et iustitia sapienti tribuitur. Sed temperantiæ et fortitudini vix locus esset, si vulgarem teneres significationem, liceretque adeo, quæ Cotta de Deo disputare audet, (Nat. Deor. III, 15.) ad sapientem transferre. Libertatis igitur sapius quam harum virtutum nomina commemorant, quum de sapiente loquuntur.

Satis iam hac virtutis declaratione cavisse videor, ne in eorum errorem incurramus, qui officia perfecta, simili verborum sono decepti, cum officiis iuris, quæ nunc perfecta vocare solemus, confundunt. Officia perfecta, quæ et recte facta, (*κατορθώματα*) et honestæ actiones vocantur, nusquam pæne in hac vitæ nostræ mediocritate quaras, sed eodem referas, quo divinæ naturæ præstantia et ipse finis (*το τέλος*) refertur.

Hic locus erat officii universi definiendi: sed quum Cicero ipse, quo loco de virtute disputat (III, 6. ff.) hanc definitionem neglexerit, nec unquam retractaverit, mihi quoque concedatur, ut coniuncta expromam, quæ de utroque officiorum genere dicenda videntur; facilius enim hæc explicari poterunt, quum de bonis et malis quædam ante monuero. Hanc enim  
sen-

sententiam, quæ sola bona vocat, quæ honesta sunt, arcem Stoicorum dixeris, unde facillime totam hanc regionem perlustrare possis.

Quum præter virtutem et honestas actiones nihil bonum iudicarent; novam quasi viam ingressi et terminos philosophiæ moralis primi subtilius constituisse videntur. \*) Etsi parum nos iuvat definitio boni, quam habet Cicero, (Fin. III, 10.) non satis accurate e Græcis expressa; tamen, et tota Stoicorum ratio, et alia boni declarationes a Laërtio et Arriano traditæ, dubitare nos non sinunt, quin duabus notis boni naturam agnoscerint, quarum altera a *libertate*, altera a *rationis lege* deprompta est. Nihil bonum dicunt, nisi quod in potestate nostra sit, nihil item, nisi

\*) In Platone duas reperimus bonorum divisiones, quarum altera in vulgus nota, bona animi, bona corporis et res externas distinguit, altera dividit bona in *divina et humana*, (*Θεια καὶ ἀνθρώπινα*) v. de Leg. I, p. 18, Vol. VIII. ed. Bip. Ut quatuor humana bona, *ὑγίειαν, κάλλος, ἰσχυρὴν, πλοῦτον*, sic divina quatuor enumerat, i. e. quatuor virtutes. Quæ Plato divina bona vocaverat, ea sola bona Stoici iudicabant.

Cicero (Tusc. IV, 26.) sapientiam definit, quæ divina imitetur, humana omnia virtute inferiora ducat.

nisi quod ex rationis lege omnibus numeris absolutum sit. Quare iniquior philosophis antiquis videtur Kantius; omnes enim in boni notionem constituenda, eas immiscuisse notas censet, quæ non ex ipsa ratione ductæ, sed e sensu et rerum perceptarum usu efformatæ sint. Fieri non potest, ut plenius h. l. collationem rationis, (*αναλογιαν λογου*) qua, et in ethica et in physica, ad boni notionem progrediebantur, illustrem: sed iis occurrere conabor dubitationibus, quæ propius institutam hanc orationem attingunt. Dixerit aliquis, philosophos omnes, ipsos etiam Stoicos, boni quandam notionem (*προληψιν*) ad hunc locum attulisse. Ita, quum bonum definitur, „quod esset natura appetendum;” (de Fin. II, 2.) iam ante constituisse videntur, quid sit bonum, quam subtiliori explorationi locus fuisset. \*) Enim vero

- \*) Manifestum videtur, boni hanc primam et communem notionem nihil significare, nisi rem subiectam, vel, si malis, obiectam (Gegenstand) appetendi facultati. Qui boni hanc notionem non ferunt, ii eodem iure Kantianam appetendi facultatis definitionem evertere possunt.

In Kantii libro, quem inscripsit: *Grundlegung zur Metaphysik der Sitten*, nihil me legere memini, quod ad Stoicos pertineret: sed in eo libro, quem inscripsit: *Critik der praktischen Vernunft*, copiose de Stoicis disputat senex venerabilis p. 22. 100—104. 151. 153. 200. 208. 227. Loca omnia indicavi. Si quis

vero Stoici certe, ne quid ante cognitam causam constiruas, diligentissime cavent. Implicatam boni notionem, quam alii aliter enodant, penitus explorare iubent, et, quid in ea veri lateat, ante constituere vetant, quam rationis vis in homine eluceat. Simul ac, non solum appetere (*ὄρεσθαι*) quod statim conceditur parvis, sed appetitionum causas etiam requirere possumus; quæ rationis sunt, (*τα ἰδια, τα προαιρετικα*) ab iis, quæ non sunt in potestate nostra, se-iungere, illa nobis, ut sola bona, vindicare, hæc deorum arbitrio committere, si offerantur, grato animo accipere, sin minus, facile iis cærere iubent.

At,

quis me meliora docuerit, docilem me habebit: sed comiter erranti monstrat viam!

In notissima illa argumentatione, cui plurimum tribuunt Stoici: Quod est bonum, omne laudabile est, quod autem laudabile est, omne honestum est: bonum igitur quod est, honestum est, veri quid latere videtur, minus, quod sciam, animadversum. Nam etsi laborat tota argumentationis compages, tamen non negabis, ad legis eius, quæ omnibus assensum extorqueat, naturam hæc spectare. Quæ in foro, in curia, coram iudicibus, verbo quæ publice dici possunt, (was Publicitæet vertraegt) ea eius modi esse, ut certe non repugnent legi morali, ipse Kantius observavit in libello *Zum ewigen Frieden*, p. 93. f.

At, inquis, a natura deficiunt, dum bona dicunt ea sola, quæ adulta ratio probat. Hæc, a Cicerone accepta, sæpissime Stoicis opponi audivimus. At enim, quum bona esse negant omnia, quæ non sunt in potestate nostra, non deserunt ea, quæ omnium animalium desideriis experuntur sed id tantum agunt, ut, *et fines doctrinae moralis regant, et ipso verborum usu virtutem commendent.*

I. Quæ causa Kantium impulit, ut philosophiæ practicæ, quam vocant, terminos ita quasi referret, ut nihil ei, quod non a libertate penderet, relinqueret, eadem Stoicos in boni notionem angustius constituenda et vulgari vitæ usu eximenda commovisse videtur. Quo iure Aristotelem logicæ auctorem dicunt, eodem Zenonem ethicæ conditorem vocaveris. Utrumque non invenisse res, sed, quæ sparsa erant, ad doctrinæ normam subtilius disposuisse et suis quæque locis tribuisse dixeris. Sed Aristotelis libros integros habemus: Stoici iusta laude fraudari solent, quum vix ruinas quasdam templi eximii spectemus. \*)

II.

\*) Deprecor, ne quis me vel Stoicorum vel ullius eorum, quorum causas acturus sum, familiae adiu dicet. Qui studiosè exquirunt, quem quisque locum teneat

II. Nova verba a Zenone investa acerbè exagitantur a Cicerone, quum sæpe, tum de Fin. V, 25. Mihi quidem, quo verius de Zenone statuatur, hoc in primis observandum videtur. Quum omnes fere, qui novarum rerum inventores ferebantur, nova etiam verba, quibus inventa sua notarent, protulissent; Zeno longe audacius ad res vulgo notas et populo carissimas significandas, nova verba obrulit: ad ea vero, quæ de humanæ naturæ præstantia subtilius sibi indagasse videbatur, indicanda, omnia fere, quæ in honore erant, vocabula occupavit et virtuti quasi vindicavit. Si unquam fieri posset, ut hanc rogationem acciperet populus, quis, quæso, negaret, magnopere hoc valere posse ad pravam hominum opinionem corrigendam? Sed Stoicorum exemplum docuit, ne eruditis quidem persuaderi posse, ut bona et utilia appellare desinant ea, quæ a teneris aut sola, aut ardentius, quam maiora illa, expetierant.

Quæ dixi, ad *finem* quoque Stoicorum accommodari possunt, quem, nisi hanc in verbis veniam Zenoni concedas, Epicurus etiam sibi vindicare, certe sententiæ suæ congruenter interpretari

teneat in hac regione, non satis cogitasse videntur, quem ipsi locum teneant.



tari possit. Sed, ut bona sibi servavit, sic naturæ verbum deserere noluit Zeno. \*) Naturæ convenienter vivit, qui id, quo nihil maius et melius est in natura, quam universa tum humana, constanter sequitur, reliqua omnia naturæ desideria, non extinguit quidem, sed non curat, quoties rationis, quæ sola dominatur, imperiis adversantur. Το τέλος non datum est homini nascenti, ut Epicurus opinatur, sed, ex quo adolevit ratio, propositum nobis, quod per totam vitam sequamur. Ut Ferguson in egregio libro, quo historiam societatis civilis exponit, naturalem esse negat vitam hominum agrestium, quos vulgo in statu naturæ collocamus, ita Stoici negabant, fieri posse, ut naturæ consentiamus ante rationis maturitatem.

Legem rationis, quam constanter sequi iubet Zenonis finis, ita quidam interpretabantur, ut, quæ

\*) Ut concedas, quod suspicatur Tiedemann, (System d. St. Ph. III, 79.) Zenonem hæc tantum verba, *ὁμολογουμένως ζῆν*, posuisse, reliqua adiecta esse ab aliis; omnes tamen idem sensisse puto, et perspicuitatis causa addita esse, quæ, alia alii, adiecerunt.

Ne stulte optes ea, quæ non possis, utque id ipsum, quod rationis vi possis, constanter velis, a naturæ, et universæ et tuæ, contemplatione proficiscaris necesse est, auctoribus Stoicis.

quæ ad vitam gerendam pertinent, omnia prorsus negligenda ducerent. Horum causa paulo uberius ita declarabant finem, ut summum bonum dicerent, „vivere, scientiam adhibentem earum rerum, quæ natura eveniant, feligentem, quæ secundum naturam, et quæ contra naturam sint, reiicientem, i. e. convenienter congruenterque naturæ vivere.” (Fin. III, 9.) Ne assentiaris iis, qui hæc pugnare iudicant cum primis Stoicorum enunciatis; memento, Ciceronem, ut philosophos istos, quos dico, repellat, modo negare, sapientiæ locum esse, si tollantur rerum discrimina, modo, viam ad universam virtutem patere. Illud ad sapientes, hoc ad eos, qui sunt *εν προκοπη*, ad sapientiæ studiosos, pertinere videtur.

I. Sapiens verum a falso secernit, nec cum discrimina ista rerum, quibus perexiguum pretium statuit, (quæ habent *αξιαν*, æstimationem aliquam sed parvam,) latere possunt. Sapiens est, hæc quoque observare, v. c. vitam iucundam præferre molestæ, integram valetudinem morbo. Quod unum sequitur, ut in in hoc rerum delectu vere iudicet, h. e. præferat maiora minoribus, eo nunquam excidere potest: sed eventum regit Deus, qui non tuis solius commodis, sed omnibus consulit.

II.

II. Qui progrediuntur ad virtutem, (*οἱ προκοπτόντες*) tironibus similes, rebus externis utuntur ita, ut ad maiora exerceantur. Eorum, qui vel iaculantur vel talis ludunt, alii id unum agunt, ut vel metam feriant, vel lucello potiantur, alii, ut vires exerceant roborantque. Illis plerique mortalium, his similes sunt pauci illi, qui, quum servilis eos in cupiditatum imperio conditionis pœniteat, ad optima quæque contendunt. \*)

\*) Quae de universa Stoicorum philosophia dixi, quum uberius illustrare ea, quae paulo audacius dicta videantur, nunc quidem non liceat, acerbius exigi nolim. Praeternittere, quae leviter attigi, nolui, quum ab aliis ita haec tradi non meminerim, ut vel Stoicorum sententiae congruant vel cum instituta de officiis disputatione conciliari possint.

## IV.

Ethica Stoicorum tribus locis, qui e rerum divisione supra commemorata pendent, comprehendi potest. Quum omnia, quæ expeti solent ab hominibus, dividere iubeant in nostra et aliena, in nostra autem potestate vel bona sint vel mala: primus locus, ad quem reliqui referuntur, *bona* complectitur ita, ut, quam cum reliquis rationem habeant, simul declaretur. Hunc locum, cuius fundamentis universa nititur doctrina moralis, liber III. de Finibus explanat. Restant duo præceptorum genera, quorum alterum *malorum* causas et remedia, alterum, quod doctrina de officiis continetur, rationem demonstrat, qua *alienis* istis, (quæ media etiam et neutra vocantur,) et sine quibus vitam agere non possumus, ita utamur, ut virtutis materia (*ὕλη*) vel instrumenta (*οργανα*) sint.

*Prudentiæ* duas significationes in Cicerone observare licet, quarum altera ad *cognitionem*, altera ad actionem spectat. De illa ad c. 6. dicendi locus erit, hæc in agendi consiliis regendis versatur. Duo hæc prudentiæ munera seiuncta esse

esse possunt in vita: at, quo longius in utroque progrediaris, eo minus alterum sine altero cogitari potest. Si vitæ agendæ ducem intelligis prudentiam, non recuso, quo minus doctrinam de officiis prudentiæ disciplinam voces; satis enim docent, et ea quæ de Fin. III, c. 18. s̄ dicuntur, et totum librorum de Officiis argumentum, agendi præceptis hunc locum definiri. Sed cave eam prudentiæ notionem concipias, quam multi nunc celebraverunt, qui, exclusa virtute, ad solam vitæ vel necessitatem vel iucunditatem referunt prudentiam.

Officia communia, quum quasi medium locum teneant inter actiones honestas et turpes: discrimen, quo a *turpibus actionibus* vel *peccatis* distinguuntur officia media, verbo declarandum est ante, quam ad officii universi definitionem progrediamur.

A ratione sola et bona et mala proficiuntur. Sed, ut Ciceronis verbis utar, fero adolescentem semina virtutum, ingeniis nostris innata, et ipsa ratio ante defertur ad mala, quam, quid vere bonum sit, suspicari possit. \*)

Vt

\*) Ad mala proclive ferimur, simul ac rationis lumen exoritur, nec ulla opus est ad mala progressionem Tolla.

Ut boni terminos quasi longius removeant Stoici, quam reliqui philosophi, sic mali fines propius admovent. Ut nihil in bonis habent, nisi quod honestum sit, ita in malis numerant omnia, quæ libere fiunt, nec tamen rationis iussu peraguntur. Qui in malis sunt, omnes mali vel stulti vocantur: neque tamen omnia, quæ agunt, mala vel peccata dixeris. Neminem adeo ab humanitate defecisse iudicabant, ut non interdum rationem audiens officio fungeretur, sed idem continuo ad peccata deflectet, simul ac peccandi illecebræ obiectæ fuerint. Noli igitur conferre Stoicos cum theologis iis, qui, patrum memoria, optimorum virorum, quos Græcia tulit, facta omnia splendida peccata vocabant.

Has illecebras obiiiciunt res externæ, iisque ab inferiori parte animi susceptis, obsequitur ratio. Inferiorem animi partem vel facultatem parum accurate dixi, quam Stoici *Φαντασιαν* vocant. *Visa* (quæ et ipsa *Φαντασιαι* appellantur,) significant primum omnia, quæ sensibus  
per-

Tollamus igitur additamentum a sciole Ciceroni obtrusum, de Fin. III, 18. „Bonum illud, [et malum,] quod sæpe iam dictum est, postea consequitur.” Verba, quæ uncis inclusi, ferri possent, si adultis opponerentur recens nati, sed, quum h. l. stulti sapientibus opponantur, tollenda videntur.

percipiuntur, deinde sensum voluptatis et doloris, quem Cicero *tactum interiorem*, nostrorum philosophorum alii, Empfindung, alii Gefühl vocant. \*) Hac observatione probata, facilius iam impeditam Stoicorum sententiam de libertate explicabis. Tres libertatis quasi gradus constituunt Stoici (Arr. l. I. et III, 12.) quorum primus in assensu tribuendo versatur, secundus regit appetitum, (*ὄρεσιν*, cui opponitur *ἀφορεσιν*), tertius vehementiorem animi motum, (*ὄρεξιν καὶ ἐκκλῆσιν*) quem bona et mala, vel vera vel opinata, incendunt. \*\*) Qui facile concedunt, libertatis arbitrio committi appetendi et expetendi facultatem, iidem mirabuntur, *assensum* etiam libertati tribui: sed, quæ modo observavi, egregie conferre dices ad hanc quoque difficultatem, quæ multis molesta

D 2

fuit,

\*) Qui hoc verbo utantur, veterum philosophorum auctoritate niti possunt. Cicero certe (Ac. II. (IV.)

7) *tactum interiorem* vocat sensum voluptatis et doloris, et verba, „quid de tactu, et eo quidem, quem interiorem vocant,“ satis declarant, hanc vulgo notam fuisse significationem.

\*\*) Non satis sibi constat Cicero in Graecis vocabulis interpretandis. *Appetere* plerumque est *ὄρεσιν*, *expetere* *ὄρεσιν* *δαί*. *ὄρεσιν* non Germanico voc. *Begehre* (quæ est *ἐπιθυμία*, et semper in vitio est,) sed aliquanto verius verbo *Trieb* interpreteris.

fuit, explicandum. Quum in visis et ea sint<sup>6</sup> quæ tactui interiori tribuimus, facillime intelligitur, assensu rei iucundæ et molestæ temere concesso significari ipsum turpis obsequii initium, quod in appetendi facultate collocant nostri. Verbo, non ignorabant Stoici, non solum stultitiam sed ignaviam etiam a virtutis viâ revocare. \*)

Licet multa in malis s. peccatis habeant Stoici, quæ nunc, non solum sibi concedunt, sed etiam in concessis (licitis,) numerant philosophi, tamen huius regionis haud exigua pars, (quam nonnulli et lege et domino carere iudicant,)

\*) Ignaviam h. l. non minus late patere dixeris, quam fortitudinem eam, quam moralem vocat Kantius, i. e. ipsam virtutem in superandis impedimentis occupatam. Non satis est, scire, quid fugiendum sit, sed animo magno et firmo opus est, qui non solum erroris praestigias dispellat, sed peccandi etiam illecebras superet. Hinc ignavi et serviles, (*ανδραποδα, ανδραποδωδεις,*) vocantur a Stoicis, qui non obli sunt visis, quæ vel asperitate terrent vel blanditiis alliciunt. *Vitiositas*, (haec enim virtuti opponitur, non vitium, Tusc. IV, 13.) modo *stultitiae*, modo *ignaviae* nomen habet: et satis notum est, *κακιαν* saepe hanc vim habere. Cf. egregium Xenophontis locum, (Memm. Socr. II, 1, 26.) ubi *Κακια* non Voluptas est, sed Ignavia, quæ latius regnat, et ipsam voluptatem finibus suis comprehendit.



cant,) doctrina de officiis continetur. V. ad I. II. de Off.

In malis est primum ipsa opinio (*δοξα*) temere concepta, deinde natus ex hoc errore vehementior animi motus. Quum nostri subtilius distinguant *affectus*, quos vocant, a *cupiditatibus*, Stoici uno *perturbationum* (*των παθων*) nomine comprehendunt omnes animorum motus, quos nostri, verbis seiunctos, vocant, Affecten und Begierden. Ex hoc opinionis et perturbatae mentis fonte manant omnia, quae in malis habentur a Stoicis, nec solum animorum morbi (*Leidenschaften*,) sed quatuor etiam vitia virtutibus opposita. \*)

Opinio boni praesentis *laetitiam*, futuri *libidinem*: opinio mali praesentis *aegritudinem*, futuri *metum* gignit. Tusc. IV, 6. Quam de  
Fin.

\*) Tusculanarum disputationum I. l. I - IV. locum de malis et de vita misera copiose exponunt. Sed, quum hanc quoque philosophiae Stoicae partem parum perspexerit Cicero, ordinem et perspicuitatem, quam in aliis oratoris libris admiramur, saepe hic desideramus. — Non omnia, quae domi nata sunt mihi, effundere, sed ea tantum commemorare volui, quae ad viam, quam ingredior, expediendam faciunt.

Fin. III, §. lætitiã vocat, eandem sæpe voluptatem appellat, et doloris dolendique vocabulis haud raro ægritudinem significat. Qua translatione, etsi legitima et verecunda, commisit tamen, ut hic quoque Stoici iusto maiorem rationis arbitrio potestatem tribuisse viderentur. At enim non ipsum doloris et voluptatis sensum, quem natura fert, dum vel arceat pestifera, vel potitur salutaribus, in vitio habebant. Non dolere, sed cogitando fovere dolorem vetant, nec improbant voluptatem, quæ naturæ desiderii respondeat. Voluptatis blanditiis impelluntur animalia, ut gravissimis naturæ muneribus fungantur. Quam naturæ machinationem quum intelligere possit ratio; indignum homine iudicabant, ita voluptatem sequi, ut nec causam cur impellaris, explores, nec modum teneas, quum grato errore deceptus, nihil maius et melius, quod expetendum sit homini, sufficeris. Habes cupiditatis (*της επιθυμίας*) declarationem, eamque nasci vides, quum appetitio, quæ nec in bonis nec in malis est, naturæ modum excedit.

## V.

Dixi de iis, quæ sola *expetere* et *fugere* iubent Stoici i. e. de *bonis* et *malis*, quæ propria sunt hominis. *Appetere* (ὀρεῖσθαι) salutaria, et repellere (ἀφορεῖσθαι) pestifera, commune est homini cum animalibus rationis expertibus, et appetitiones earum, quibus ad sui conservationem impelluntur homines, non solum ante rationis ortum sed ante voluptatis etiam desiderium in parvis observantur. Sed idem appetendi vocabulum cum omnibus iis communicatur, quæ, præter virtutem illam, soli sapienti concessam, studio nostro digna habentur, i. e. cum *mediis* vel *neutris*.

In his numeratur primum ipsa ad virtutem progressio, \*) (προκοπή) deinde omnia, quæ vel

\*) Ciceronis (Fin. III, 16.) fidem, ut sæpe, requiro h. l.; nam in æstimabilibus commemorat valetudinem, integritatem sensuum, alia, sed omittit progressionem.

vel in animo vel in corpore et rebus externis cura nostra digna sunt, de quibus v. ad I. II. V. Diog. Laërt. VII, 106. Hæc omnia, ad quæ, veluti materiam, virtutis studium refertur, gradibus differre statuebant. Primum non negabant alios aliis feliciter a natura instructos esse, vel ad virtutem accipiendam, \*) vel ad eam sollicitiam, quæ in vitæ fructibus percipiendis versatur, acuendam. Deinde officia communia, quum et ipsa in mediis numerentur, alia aliis præferri possunt. Non erat igitur, quod Ciceronem, qui aliud alio honestius et utilius iudicasset, a Stoicis defecisse iudicaret J. M. Heusinger ad Cic. I, 3, 9. Verbis potius, quam re ipsa discrepare videtur; quidquid enim his libris continetur, ex eorum numero est, quæ maiorem minoremve æstimationem, (*αξιαν*) habent,

gressionem ad virtutem. At Laërtius non prætermittit τὴν προκοπὴν, VII, 106. p. 430., ubi primum ad προηγμένα refertur, mox iterum commemoratur in iis, quæ δι' αὐτὰ προηκται, i. e. interprete Cicerone, per se ipsa præposita sunt.

\*) Non negabant Stoici, naturam aliis matrem aliis novercam esse: sed quum nec virtutis indolem, nec profectum ab ea bene vivendi conatum, virtutis laude et nomine dignarentur; minus movebantur difficultatibus iis, quas movet Garvius Vol. I. p. 50, ff.

bent, \*) et hoc tantum consuetudini dedit, ut *honestā* et *utiliā* vocaret honestatis initia et commoda vitæ.

Minus iam obscuritatis habent *officiorum definitiones* a Cicerone, et de Off. I, 3., et de Fin. III, 17, 18. allata. Ibi, quum actiones ea, quæ ad res medias parandas augendasque referuntur, eam solam ob causam officiorum nomen habere dicantur, *quod rationis iussu suscipiantur*, hanc *universi officii* notam dixeris. Laërtii etiam (VII, 108.) non prima officii definitio de toto genere accipienda est; (nam eadem verba Græce habet, quibus Cicero Latine medium officium, de Off. I, 3. definit:) sed ea, quæ mox subiicitur, *ὅσα ὁ λογος αἰρεῖ ποιεῖν.* \*\*)

*Recte*

\*) V. Stobæi locum (quem ipse non evolvi,) a Tiedemannio allatum, Vol. III, p. 287. Cf. Laërt. VII, 105. Tres *τῆς ἀξίης* significationes Germanice aptius quam Latine explices his verbis: *Preis, Werth, Würde.*

\*\*) Non dissimulabo, quod scrupulum mihi iniecit, in plantis etiam et animalibus observari *το καθήκον*: ut tres eius formas constituere possis, quibus omnibus status naturæ accommodatus tribui possit, Laërt. VII, 107, 108. Etiam Arrianus habet *τρεῖς καθήκοντα*, III, 7. Cf. de Nat. Deor. II, 12, 13., ubi per quatuor gradus ascendit Stoicus, a plantis ad Deorum naturas,

*Recte factum* uno tantum verbo definit Cicero: perfectum (τελειον,) vocat. Sed, quum ab eodem (de Fin. III, 18.) officium medium *inchoatum* vocetur, quumque a Stobæo (Ecl. eth. p. 174, ap. Tiedem. III, p. 303.) appelletur κατ'αρετην ενεργημα: satis apparet, quam vim habeat hoc verbum. Ipsa rationis perfectio, ipsa virtus spectatur. Hanc officii perfecti definitionem nemo facile recusaverit: sed non satis constat, quo discrimine recte facta ab *officiis mediis* distinguantur. Sunt, qui credant, in officio medio vel communi, actionem solam, et quæ eam sequantur, non actionis principium spectari. Quam sententiam ne ipse Cicero firmare videatur, cavebo. Is, (de Fin. III, 18.) dum *iuste* depositum reddere in recte factis ponit, in officiis, depositum reddere, de consummata sapientis iustitia cogitat, et omnes negat iuste depositum reddere, qui, vel integerrimo virtutis amore incensi, tamen, non assequantur sed sequantur iustitiam. Totus liber primus de officiis docet, et media officia ad virtutem ipsam dirigi, licet non a virtute proficiantur. \*)

Libri

\*) Statuebam aliquando, nihil, quod ageret sapiens, ex ἀδιαφορίας numerari a Stoicis, ut vel in levissimis

Libri primi de Officiis argumentum a *cognitionis appetitione* (Acad. II, 8.) et *communitatis principiis* profiscitur: liber secundus ad ea spectat, quæ præterea appetenda sunt. De communitatis principiis, et de Fin. III, 19, 20., et de Off. I, 16. copiose disputat; sed paulo altius recondidit vinculum, quo cum his principiis coniuncta sint reliquarum virtutum, fortitudinis in primis et temperantiæ, initia. Nam eam esse benevolentiam illius, quæ, ab amore parentum erga liberos profecta, latius serpat, naturam, ut omnium virtutum quasi igniculos excitet,

mis sapientis actionibus universa virtus, quemadmodum in monade Leibniziana universus mundus, conspiciatur. Sed satis iam intellexi, officia omnia, quæ ad corporis et vitæ curam spectant, non minus in sapiente, quam in stultis, media et communia haberi. Sapientes et perfectis et communibus officiis, sapientiæ studiosi, et reliqui omnes, solis communibus funguntur. Sed communium officiorum nomen in sapientiæ studiosis latius patet; nam complectitur non ea tantum officia, quæ ad vitæ necessitatem spectant, sed ea etiam, quæ, quum e virtutis inchoatæ (*προκοπή*) fonte manent, recte facta inchoata vocari possunt. Etiam improbissimi interdum officiis funguntur, i. e. non semper pecudum ritu vivunt; rationem audiunt tum, quum satiata libido nihil desiderat. — Clarius hæc apparebunt, quum (ad Off. I, 31.) Stoicorum sententiam de morte voluntaria illustravero.

citet, aperte docent Stoici, v. e. Arr. p. 106. ed. Schweigh. Cicero etiam, si animum adverteris, satis declarare videbitur, qua societate innungantur cum vita communi fortitudo et temperantia. *Laudis studium*, quod ad res magnas et arduas suscipiendas vocat, et *pudor*, qui revocat a turpitudine, in societate primum, et excitari et viam ad virtutem munire videbatur. *Laus* enim, quam vel sibi vel aliis tribui vident, advertit animos puerorum ad ea indaganda, quæ per se laudanda sunt: et *verecundia* nascentem cupiditatem coercet, dum adulta ratio melioribus incitamentis locum det. \*)

\*) Quae ad c. 4, 5 et 6 dicturus eram, differre cogor. Tantum non tribuo his observationibus, ut excusandam putem moram, quam non ipse necto, sed necessitati concedo.

Corri-



## Corrigenda et addenda.

- ¶ 8. lin. 13. l. pro secunda *secundi*.  
-- 8. -- 21. pro artem l. *arte*.  
-- 9. -- 23. post quanto adde *haec*.  
-- 10. -- 8. pro Huthefon l. *Huthefon*.  
-- 10. -- 9. pro illustri l. *illustri*.  
-- 15. -- -- pro c. 1—6. l. c. 1—3.  
-- 29. -- 12. pro volupteta scr. *voluptas*.  
-- 35. -- 5. scr. maiori tabula.

Ne quis sinistre interpretetur, quae p. 10, 11. significavi, eam esse sciat vitae meae conditionem, ut bonis, quae plurima habet et haec et vicina urbs, frui nequeam.

---













Ch. 1387. 8

(x 262 3075)

mi







# COMMENTATIONES

de  
Stoicorum philosophia morali,  
ad  
Ciceronis libros de officiis.

---

Commentatio prima.

---

Scriptit  
M. ERN. GODOFR. LILIE,  
Gymnasii Altonani Subrector.

---

ALTONAE,  
apud J. F. HAMMERICH.  
MDCCG.